

misericordia, quia sine appellatione fit ad conceptus nostros.

XXXVI. Ad confirmationem respondetur quod si illa distinctio poneretur in re, jam non esset distinctio rationis, sed realis. Ex eo autem quod ponatur in ratione non sequitur mutari naturam divinam in intellectu ex parte rei conceptæ, sed solum ex parte modi cognoscendi ad instar alterius cognosci, et supposita hac ratione cognoscendi imperfecta, consequitur illa distinctio rationis.

XXXVII. Ad ultimum dicitur, quod quando concipio sapientiam divinam, concipio sapientiam, quæ est in Deo, quæ ex parte rei cognita est idem quod iustitia, et sapientia Dei, ex parte autem modi cognos-

cendi inadæquate, et imperfecte non correspondet nisi sapientia, et non iustitia, vel bonitas quantum ad explicationem istarum rationum. Unde dicit S. Thomas locis citatis ex I sent. ad II: « Quod intellectus noster id, quod concipit de bonitate, vel de sapientia non refert in Deum, quasi in eo sit per modum, quo ipse concipit, sed intelligit ipsam bonitatem divinam, cui aliquantulum simile est, quod intellectus noster concipit esse supra id quod de illo concipitur. » Et ita solum sequitur ex argumento, quod modus concipiendi non adæquatur modo rei conceptæ, non autem quod ipsa res concepta, licet sub illo modo imperfecto non sit eadem, quæ est in re per modum perfectum.

## QUÆSTIO IV.

# DE PERFECTIOE DEI.

Explicata divina simplicitate transit D. Thomas ad aliud attributum divinum explicandum, scilicet perfectionem divinam. Et circa hoc tria inquirunt. Primo, an Deus sit perfectus. Secundo, quanta perfectione sit perfectus, an videlicet omnes perfectiones universaliter ei conveniant. Tertio, an sit tantæ perfectionis, ut nulla creatura ei similis esse possit.

Primum tractat Div. Thomas in primo articulo et resolvit Deum debere esse perfectum. Cujus intelligentiam sumit ex eo quod Deus est principium efficiens. Unde distinguit de principiis rerum per modum materiæ, vel per modum agentis, quod principia materialia, quia procedunt de potentia ad actum sunt imperfecta, ideoque unumquodque in sui principio imperfectius est, quam in sui consummatione. Propterea philosophi antiqui, qui solum consideraverunt principium materiale, dixerunt primum principium non esse perfectum. Principium autem per modum agentis debet esse perfectum, quia unumquodque agit in quantum est in actu, et primum agens cum sit universalissimum in agendo, debet summe esse in actu, quia universalissimum; ergo debet esse perfectum, quia sicut potentia de se est imperfecta, seu perfectibilis, ita actus de se est perfectio: Deus autem non est principium ut materia, sed ut agens.

In articulo secundo ostendit Div. Thomas Deum universaliter habere omnes perfectiones, quia nulla illi deest. Et hoc probat duplici medio scilicet, quia Deus est supremum, et universalissimum agens, et sic omnium effectuum perfectiones debet continere, quia potest illas dare. Secundo, quia est ipsum esse per se subsistens, formæ autem subsistenti in ipsa ratione formæ sine communicatione aliqua ad materiam vel subjectum convenit omnis perfectio sui generis. De his rationibus statim agemus.

In articulo tertio ostendit D. Thomas nullam creaturam esse similem Deo nisi analogice, quia similitudo est quædam convenientia, omnis autem convenientia secundum aliquam quidditatem actualem fit in aliqua forma. Quando ergo contingit aliqua convenire in eadem forma, et in eodem modo habendi formam, talia sunt similia, et æqualia, si habent eandem formam, et non eo modo sunt similia, sed inæqualia. Si non habent eandem formam neque eundem modum, talis similitudo adhuc erit magis remota v. g. inter agens æquivocum, et effectum datur aliqua similitudo, quia conveniunt in forma generica, non specifica. Si autem agens ita sit supremum, quod non contineatur in genere, ut Deus, effectus solum assimilabitur illi analogice scilicet in ratione entis; et sic creatura est similis Deo, non perfecte, neque æqualiter, nec generice.

## DISPUTATIO V.

DE MODO PERFECTIONIS DIVINÆ.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum rationes, quibus probat D. Thomas omnes perfectiones convenire Deo sint efficaces?*

I. Prima ratio D. Thomæ qua probat convenire Deo, omnes perfectiones sumitur ex ipsa ratione causæ primæ efficientis, et proponitur in hac forma. Quidquid perfectionis est in effectu debet præexistere in causa efficiente, vel eodem modo si sit causa univoca, vel superiori si sit æquivoca, sed Deus est prima causa effectiva omnium; ergo oportet omnium rerum perfectiones in eo esse modo eminentiori. Majorem probat D. Thomas, quia omnis effectus debet contineri, et præexistere in virtute suæ causæ effectivæ, sed præexistere in virtute causæ non est præexistere imperfectiori modo, quam in effectu, in hoc enim distinguitur causa effectiva a materiali, quod in causa materiali res existunt in potentia, et imperfecto modo, utpote in principio reducibili ad actum; in causa vero effectiva tamquam in principio perfecto, et in actu, utpote activo. Quod si etiam sit determinabile, et in potentia, hoc erit in quantum participat aliquid de materialitate, seu potentialitate, ergo oportet, quod effectus perfecto modo sint in causa effectiva, et consequenter in prima causa efficiente omnium rerum, debent omnium perfectiones contineri.

II. Pro intelligentia hujus rationis nota duo. Primum, quod S. Thomas loquitur de causa principali, non instrumentali, hæc enim solum se habet ministerialiter deferendo, vel

applicando virtutem principalis, non autem ut virtus per se primo activa, et ita semen v. g. non continet effectum perfectiori modo, quam sit in se, quia solum se habet ut causam instrumentalis. Secundum est, quod S. Thomas non vult, quod in omnibus causis sit effectus perfectiori modo qua in se positive, sed vel positive, vel negative, nam in causis univocis est perfectiori modo negative, id est, non perfectius in se, quam in causa; in causis autem æquivocis etiam positive, quia causa æquivoca majoris, et excellentioris virtutis est.

III. Sed instabis primo, nam effectus prout in causa nihil est neque habet esse; ergo prout sic non potest dici perfectior, vel æque perfectus, quam in se, sed nulla est comparatio, utpote entis ad nihil, vel si est comparatio, est ejus, quod est virtualiter ad id, quod est formaliter, et sic non se habebunt causa, et effectus univocus secundum eandem rationem. Respondetur quod quando effectus comparatur ad causam, comparatur ut existens, et productus, et tunc perfectio, quam in se habet formaliter, vel adæquatur causæ effectivæ, si sit univocus, vel est inferior illa si sit æquivocus, et sic omnis perfectio effectus debet præhaberi in causa, vel æqualiter, vel superiori modo. Unde cum dicitur effectum in causa univoca solum esse virtualiter, et non secundum eandem rationem fatemur, quod dum est intra causas non est secundum eandem rationem formaliter, sed dicitur esse secundum eandem rationem, quia quando est extra causam ejusdem rationis formalis est cum sua causa, licet prout intra illam, et sub statu illo imperfectissimo non est ita perfectus, sicut causa, sed solum objective ratione status, quia non est productus.

Secundo, instabis: Nam etiam loquendo de causa æquivoca non est verum, quod quidquid continetur in effectu, continetur in causa, nam sol est causa æquivoca hominis, et non continet omnem perfectionem illius, scilicet ex parte animæ, et similiter est causa æquivoca leonis, et aliorum viventium, et tamen non est perfectior illis, ergo non quidquid perfectionis est in effectu, est in causa. Confirmatur quia neque in causa univoca est tota perfectio, quæ est in effectu; tum quia solum est perfectio eadem secundum speciem in causa, et in effectu non secundum individuum, nam secundum conditiones individuales potius sunt dissimiles causa univoca, et effectus, perfectio autem individualis aliqualis perfectio est, quod non continet causa univoca: tum etiam quia effectus causæ univocæ etiam secundum speciem solum est virtualiter in causa univocæ, non autem secundum proprium esse formale. Ergo adhuc secundum rationem specificam non est in causa, et effectu secundum eandem rationem, quia virtualiter esse tale est imperfectius, quam esse tale formaliter.

IV. Respondetur in causa æquivoca inveniri quidquid est perfectionis in effectu in eo genere, et linea in qua est causa æquivoca, et sic semper debet esse superioris, et perfectioris virtutis, quam effectus a se productus, in quantum talis effectus est. Sed tamen sol, et cælum non est causa æquivoca respectu omnis entitatis, quæ est in homine, scilicet respectu entitatis spiritualis, et operationum spiritualium, sed respectu corporis, et corporalium alterationum, et illas continet sol eminenter. Quod vero additur de leone, respondetur quod cælum ratione suæ corporeæ entitatis consideratum non est perfectius leone,

aut aliis viventibus, sed cælum ut motum ab intelligentia, et includens illam in se sic est perfectius multis viventibus, cælum autem non movet, neque est primum alterans, nisi ut includit motricem intelligentiam, nam ut corpus quoddam est, solum est instrumentum Angeli, et motum ab eo, et hoc totum conjunctum ex cælo, et Angelo perfectius est viventibus corporeis, non tamen potest Angelus mediante illo instrumento corporeo directe movere ad operationes spirituales, quæ sunt in homine, sed solum dispositive.

V. Ad confirmationem negatur antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod causa univoca non continet effectum secundum conditiones individuales absolute, sed secundum eandem rationem specificam, conditiones autem individuales producantur a causa secundum determinationem materiæ, a qua dependent operantur, et quia materia supponitur ab agente creato, a solo autem Deo producitur, ideo maxime pertinet ad Deum determinare indifferentiam agentium, quantum ad individuationem actionum, et conditiones individuantes, quæ sumuntur a materia. Et sic conditiones individuales quantum ad perfectionem suam continentur in causa univoca secundum quod involvuntur, et continentur in ipsa specifica ratione, quæ sine individualibus rationibus non potest produci, eo autem modo, quo oriuntur ex determinatione materiæ, et ab operatione Dei movente, et determinante causas secundas, sic non subjiciuntur causæ univocæ, sed potius determinant illam, sicut materia determinat agens et causa prima omnes inferiores.

Ad secundam probationem jam supra dictum est, quod effectus etiam secundum rationem specificam continentur virtualiter in cau-

sa univoca, virtualitate tamen fundata in natura, seu forma ejusdem rationis cum effectu, quando effectus existit extra causam. Hoc enim sufficit ut dicatur effectus contineri in causa secundum eandem rationem, ita tamen quod quamdiu non est extra causas, non continetur in eis secundum exercitium existendi, sed solum objective, et quidditative.

VI. Tertio, objicies contra illam propositionem D. Thomæ, quod effectus præexistit in virtute causæ non imperfectiori modo, quam in se, sed perfectiori. Inquiritur enim de intelligentia hujus propositionis propter instantias jam adductas, de causa univoca, et instrumentali, in quibus effectus continentur imperfectiori modo, et quia generaliter loquendo effectus sunt in causa virtualiter, et in potentia, in se vero simpliciter, et in actu, ergo melius est effectui poni extra causas, quam in illis contineri.

VII. Respondetur varie sentire auctores de intelligentia istius propositionis D. Thomæ. Quibus opinionibus omissis, quia non multum interest dicimus sensum D. Thomæ non esse, quod effectus præexistat perfectiori modo in causa secundum aliquod esse tenens se ex parte effectus, et secundum esse tenens se ex parte causæ, et ita in illa propositione intendi, quod modus existendi in virtute causæ agentis exigit talem perfectionem in agente, quod sit ejusdem rationis, vel superioris cum perfectione effectus producendi, ita quod licet actu non sit talis effectus, tamen perfectio, quam agens habet in sua virtute, ut possit illum producere est adæquata, vel superans perfectionem, quam effectus habet, quando in se producitur, et existit. Quare cum dicitur, quod præexistere in virtute causæ est præexistere perfectiori modo, ly

perfectiori non debet construi, et comparari cum ly effectu, quasi ipse effectus perfectiori modo, et secundum perfectius esse sibi conveniens sit in causa, quia in causa non convenit illi aliquod esse, quod non sit in ipsa causa, sed ly perfectiori debet construi cum ipsa causa, ita quod causa activa secundum perfectiorem rationem, quam in se habet continet effectum, eo quod agens non producit effectus, ut perfectibile, sed ut perfectum ad differentiam materiæ, quæ est causa in quantum perfectibilis, et in potentia, et ut inquit philosophus posse generare est signum perfectionis in agente. Cum ergo causa activa operetur effectum, non ut perfectibilis est ab ipso, sed secundum quod in se perfecta, et perfectiva est illius. Unde sequitur quod debet esse ejusdem, vel majoris perfectionis quam effectus, quem facit, in quantum effectus illius est, quia respectu omnium illarum rationum, quas efficit comparatur, ut perfectio, et non ut perfectibilis. Ergo respectu omnium rationum effectarum a se debet comparari ut perfectio, et non ut potentia, et perfectibilis, ergo nec ut inferior, quia ut inferior esset in potentia, et ut perfectibile, ergo vel debet adæquare, vel separare ipsum effectum in perfectione. Ex quo sequitur alia consequentia, quod causa effectiva omnium, quæ est Deus debet continere perfectiones omnium effectuum perfectiori modo, quia respectu omnis perfectionis a se effectæ debet comparari, ut perfectio, et non ut perfectibile. Ergo si efficit omnes in infinitum, et sine termino, ad omnes comparatur ut perfectio, et ita omnes continet, quia omnes potest efficere.

VIII. Et moveor ad sic intelligendum D. Thomam tum quia sic ratio ipsius sine ulla difficultate currit; tum quia non dixit, quod præexis-

tere perfectiori modo quam res sit in se, sed absolute dixit, quod est existere perfectiori modo, et ita potest intelligi modo dicto, quod est existere perfectiori modo, quo causa potest, quia non agit secundum quod perfectibilis, sed ut perfecta: tum ex ejus probatione subjuncta, probat enim quod præexistere in virtute causæ agentis, est præexistere non imperfectiori, sed perfectiori modo, quia materia in quantum hujusmodi est imperfecta, agens vero in quantum hujusmodi est perfectum, quæ ratio non probat effectum ibi habere aliquod esse perfectius; sed quod causa secundum id, quod perfectius est in ipsa, causet, et contineat effectum, et consequenter perfectioni effectus comparetur, ut perficiens illum, non ut perfectibilis ab illo. Unde si est causa effectiva omnium, et omni modo, quo res effectibilis, vel perfectibilis est, oportet, quod talis causa adæquet omnes perfectiones, et omnes modos perfectionum omnium suorum effectuum, et sic universaliter omnes perfectiones contineat.

IX. Unde patet ad instantias adductas. Nam quod attinet ad causam univocam dicimus continere effectum non perfectiori modo, quam effectus sit in se, sed perfectiori modo, quo causa potest comparatione ad effectum secundum similitudinem univocam, et adæquatam ipsi, non tamen perfectiori modo, et secundum altius esse. Nec obstat quod effectus univocus dependet a causa non e contra, nam hoc per accidens est, nam quantum est ex natura rei, et attenda perfectione quidditatis præcise, id quod est effectus univocus æque bene posset esse causa, et quod est causa posset esse effectus. Unde per se loquendo non habet perfectius esse. De causa vero instrumentali multo minus urget, quia causa

instrumentalis non continet effectum neque agit in virtute propria, sed in virtute causæ principalis, neque illi assimilatur effectus, sed causæ principali, et ita virtus agentis principalis invenitur in instrumento non perfectiori modo, quo potest, sed imperfectiori, scilicet ministerialiter, et principative: unde non est causa simpliciter sed secundum quid, et ita non continet perfectiori modo, quo causa potest continere, sed perfectiori modo, quo causa principalis illi communit, et instrumentum ministrat. Quod vero dicitur effectus contineri virtualiter in causa, et melius esse ipsi produci ad extra quam esse in causa, respondetur quod effectibus ut sunt quid distinctum a causa, et producibile extra ipsam melius est produci, quam non produci, quia illud esse distinctum est potentiale, et objectivum quamdiu non producitur, et per productionem ponitur in actu. Quare non intelligimus, quod effectus debeant habere perfectius esse in causa ex parte sui esse distincti a causa, et effectibilis ab ipsa, sed intelligitur quod præexistere in virtute causæ est præexistere perfectiori modo, quantum est ex parte virtutis, et activitatis causæ, ut explicatum est.

X. Circa secundam rationem est notandum, quod illa innititur tribus propositionibus. Prima est, Deus est ipsum esse subsistens, quæ probata est quæstione præcedenti, articulo iv. Secunda, esse subsistens habet omnem perfectionem essendi. Tertia, quæ ex ista infertur, ergo continet perfectiones omnium. Ratio est, quia ex eo aliqua forma non habet omnem perfectionem sui generis, quia non participatur secundum omnem rationem suam, sed secundum quod permittit ipsa capacitas recipientis, si autem forma non recipiatur, nec receptibilis sit,